

Et ego Johannes natus quondam Heinrici de Kothebus clericus Misnensis diocesis publicus imperiali auctoritate notarius praefatam imperialem litteram mihi exhibitam vidi tenui legi diligentius et perspexi, ac de verbo ad verbum cum descriptionibus signi et bullae modo quo potui meliori copiavi exemplavi fideliter et transsumpsi et in hanc publicam formam redegi nil addens vel minuens, quod sensum verborum immutet vel variet intellectum, praesens quoque transsumptum manu propria scripsi et publicavi signoque et nomine meis solitis signavi in evidens praemissorum testimonium rogatus et requisitus.

Nach zwei völlig gleichlautenden Exemplaren im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden und im Stiftsarchiv zu Meissen.

No. 633. 1373. 2. Sept.

*Transsumt des kaiserlichen Gnadenbriefes vom 12. Dec. 1372.*

In nomine domini amen. Per praesens publicum instrumentum — hora primarum vel quasi — Conradus episcopus Misnensis quondam litteram imperialem sibi et ecclesiae suae Misnensi datam a serenissimo principe ac domino domino Karolo Romanorum imperatore semper augusto et Boemiae rege illustri eius signo imperiali signatam ac maiestatis suae sigillo appenso sigillatam mihi notario et coram subscriptis testibus exhibuit et ostendit meque cum instantia requisivit, quatenus eandem imperialem litteram per me visam fideliter copiare exemplarem et transsumerem ac in formam publici redigerem instrumenti. Cuius siquidem litterae imperialis cum signi et sigilli descriptionibus tenor per omnia sequitur in haec verba:

In nomine — No. 621 — decimo octavo.

Descriptio vero signi imperialis praenotatae litterae inscriptum cum suis figuris sequitur in hanc formam [Monogramm].

Sigillum vero maiestatis praesenti imperiali litterae appensum circularis erat figurae de cera glauca ad faciem in filis sericeis nigri glauci sive gilvi coloris dependens, in cuius quidem sigilli medio imago seu figura quasi unius imperatoris induti imperialibus insigniis et ornamentis in sua maiestate sedentis diadema regium in capite, in manu dextra sceptrum et in sinistra quoddam rotundum ad modum pomi et crucem desuper tenentis et ex utroque latere una aquila unam habens alam erectam aliam depressam, quarum rostra super duos clipeos innixa et protensa erant a dextris super clipeum regni videlicet Romanorum, cuius sculptura erat figura aquilae extentis alis, a sinistris vero super clipeum regni Boemiae cuius sculptura unius leonis figura apparebat, sculptae videbantur. In circumferentia autem eiusdem sigilli tales litterae legebantur: † Karolus quartus diuina fauente clemencia Romanorum imperator semper augustus et Boemie rex. A tergo autem praedicti sigilli quoddam aliud sigillum de cera rubea cerae glaucae impressum videbatur, in cuius quidem sigilli tergatenus impressi medio figura quasi unius aquilae habentis alas extensas sculpta videbatur, talesque in circumferentia ipsius litterae legebantur: † Juste iudicate filii hominum. Acta sunt haec anno — quibus supra praesentibus honorabilibus et